DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE PHTHISI PULMONALI:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS DRAYTON,

BARBADENSIS;

SOCIET. PHYS. NOSCOM. GUY. SOC.

MEDICO-CHIRURG. SOC. EDINEN.

SOC. CORRESP.

ET

REG. SOCIET. PHYS. EDIN. SOC. EXTRAORD.

NECNON

PRAESUS ANNUUS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXII.

Oh! thou most fatal of Pandora's train,
Consumption! silent cheater of the eye;
[illegible]
Nor mark'st thy course with death's delusive dye,
But silent and unnoticed thou dost lie;
O'er life's soft springs thy venom dost diffuse,
[illegible]
[illegible] hues
Oh! have I beheld thee in the glow of [illegible]
[illegible]
Lurk 'neath the blushing roses which thou [illegible]
[illegible]
And sought a cure; for when thy [illegible]
[illegible]
In the cold vault of death be ever entombed.

Vide Remains of H. K. White, p. 113.



Oh! thou most fatal of Pandora's train,
Consumption! silent cheater of the eye:
Thou com'st not robed in agonizing pain,
Nor mark'st thy course with death's delusive dye,
But silent and unnoticed thou dost lie,
O'er life's soft springs thy venom dost diffuse,
And whilst thou givest new lustre to the eye,
While o'er the cheek are spread life's ruddy hues,
E'en then life's little rest thy cruel power subdues.

Oft have I beheld thee in the glow of youth,
Hid 'neath the blushing roses which there bloom'd,
And dropt a tear; for then thy cankering tooth
I knew would never stay, till all consumed
In the cold vault of death he were entombed.

Vide Remains of H. K. White, p. 113.

DE

PHTHISI PULMONALI,

TENTAMEN MEDICUM.

AUCTORE GULIELMO DRAYTON.

An unquam idiopathica existat Pulmonum Phthisis, semperve ab aliqua corporis animalis perturbatione primariâ originem ducere putanda sit; nondum a medicis probatum, neque, quod ad illius curationem attinet, magni interest.

In species plures a nonnullis divisa Phthisis, in tres peritissime, ut mihi videtur, a Duncano seniore redigitur, Catarrhalem nimirum, Aposthematosam, atque Tuberculosam. Ejusdem vero, in quotcunque species partitae, indicia ad capita tria apte re-

feruntur. Quorum primum ad pulmones ipsos imprimis: secundum ad febrem; tertium ad aegrotantis debilitatem, praecipue spectant. Quinetiam BAYLE * eodem super argumento, quamquam accuratissimus hanc tandem it in sententiam, hisque verbis utitur. "On doit nommer Phthisie Pulmonaire toute lesion du poumon, qui livrèe a elle meme produit une disorganization progressive de ce viscere, a la suite de laquelle surviennent son ulceration et enfin la mort."

Sub accessum primum homini ita insidiari solet Phthisis, ut ineunte morbo definiri fere nequeat. Quae res ita se habet, quia partes morbo affectae in conspectum medici minime veniunt, celerrimasque mutationes subeunt viscera, siquando his supervenerit inflammatio. Haec autem morbum adesse nunciant; languor, dyspnoea motu corporis ascendentis potissimum ingrave-

---

* Vide BAYLE Sur La Phthisie Pulmonaire.
Vide "DUNCAN sen. on Phthisis."

scens; tussicula arida noctu molestior, raucedo, faucium titillatio, et angustiae sensus parti thoracis singulari affixus. Huc accedit aliquando dolor lentus vel obtusus,* vel alicujus rei quasi radentis in pectore sensui similis. Aeger in quodam latere mollius cubat. Pro stadio morbi vario variat pulsus: primo plenus, frequens, durus; secundo irritabilior, minor, saepe intermittens; ultimo debilis et tardus. Plantae subito rubescunt, palmae genaeque modo pari afficiuntur. Aucta siti; multum imminuitur cibi appetitus; fit pigra plerumque alvus. Corporis magis magisque indies emacrescentis infirmitas evidentior. Jamque febris hectica citatior, accessionibus tum meridianis tum vespertinis grassatur. Illae minus constantes: hae expressiores hora fere quarta vel sexta pomeridiana fiunt. Hac morbi tempestate aegrum languor et debilitas magnopere afficiunt: totam corporis

---

* Vide BAYLE, p. 5.

superficiem occupant rigores, quibus subito alii alternantur. Hora circiter quarta vel quinta matutina inter sudandum solutus, mox dulcis somni amplexibus componitur.

Cum aeger experrectus est, sputum magis viride flavumque, crassius, in globulos formatius, saporem insulsum, paulo post dulcem vel salsum praebet. Colorem alium aliumque, densitatemque pariter, pro specie mali diversa, induere dicitur. Flagrante hectica, urina sine colore et pellucida est, cessante, sedimentum tanquam furfuris demittit. Alvus antea adstricta jam redditur laxa, cui fluxus eo plenior, quo parcior aegri sudatio. Decidere tandem incipiunt capilli, dentes oculorumque tunicae conjunctivae colorem caeruleum, albicantem, induunt: ungues longiores, incurvati, livescunt. Lingua primo alba, nunc demum rubra redditur, tumidis et prominentibus papillis. Foeminis, confirmato jam morbo, non amplius defluunt menses. Denique tumescunt artus, aliquando et digiti: adeoque macet infelix, ut radii arteriam, dum micat, per cutem vi-

brantem, conspicere detur. Oris halitus, haud secus ac summa corporis universi cutis, odorem praebet lethalem, conspectaque facie HIPPOCRATICA, salutis spes nulla in postremum praelucet. Interea animi facultates integrae fere manent; interdum quidem mutationem a statu sano aliquam patiuntur: at fiducia sanitatis recuperandae falsa pene semper eas deludit.

Pulmonum Phthisis ex adolescentium amabilissimis victimas sibi plerumque eligit. Et accidit, eheu! quam saepe accidit, ut quae corpora, ipsaque pulchritudinis norma a plerisque putantur, ea medicus pro sepulchris ornatissimis morborum pessimo sacratis habeat.

Phthisis, a pubertate ad aetatem constantem accenditur, quamvis nullo in tempore mortales periculo hujus morbi immunes sunt. Nullam certam sibi durationem praestitit, sed anni spatio vel paulo ampliori, cursum fere terminat. Veruntamen usque ad hominis senectutem moratam, ei demum exitium attulisse, nonnulli ferunt.

* Multi auctores antiqui Phthisin contagiosam esse putabant, quam sententiam multi nostri temporis (in Europa Australi praesertim) etiamnum tenent. In hac regione tamen hoc minime apparet.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Morbum hunc haereditarium esse a plerisque conceditur. At quibus est affectio strumosa, quorum vultus roseo splendet colore, cutis simul candidissima, rubore pulchro distincta—quibus venae grandiores, purpureae, expressiores, oculique nitent caerulei, crinis subfuscus vel venuste castaneus,—quibus digiti candore notabiles, teretesque; dentesque margaritis similes; quibus cervix in longius ducitur, humeri prominent, aliquantulum contrahitur thorax:—quibus denique corpora sunt speciocissi-

* Vide Aristot. B. 385. D. 322. B. C. Probl. i. 7. viii. 8. Eristratus, F. C. A. B. 257. B. C.

ma, oculos hominum ad se convertentia, eos revera hoc immiti malo rapi confessa res est et manifesta.

CAUSAE EXCITANTES.

Phthisis fere Catarrhi affectibus, vel alicui pulmonum irritamento, sanguinis circuitum ibidem, actionemque phlegmonae, unde crescere tubercula existimantur, turbanti, est tribuenda.

Corpuscula per vim suam pollentia (pulvis nempe in pulmones respirando receptus) in numero causarum hoc malum potenter excitantium sunt posita. In quibus enumeratus est et fumus, quamvis Young sententiam contrariam amplexus est. Eodèm pertinere Haemoptysis dicta, sed minime demonstrata: quae quidem Phthiseos consequentia potius existimanda mihi videtur. Excitari Phthisin ab Asthmate, quod aliqui sunt opinati, haud verisimile, duco: Nam si illud usu veniret, quonam pacto fieri

posset, ut Asthmate laborantes tamdiu vitam ducerent. Hujus ortum putavere multi referendum esse ad pneumoniam. Haec vero, perite tractata Phthisin minime saepe inducit; quin imo, pulmonis ulcere jam orto, id et sanari, et aegrum exinde revalescere posse, fertur.

Homines habitus strumosi; quam qui nulla istiusmodi tabe notantur, Phthisi esse obnoxiores inter omnes convenit. Glandulas Lymphaticas Phthisi correptorum statum peculiarem morbosum a struma ortum subire, communis est sententia: quae eo sustinetur, quod Phthisis Tuberculosa haereditaria strumosis obvenit: quod tempore aetatem puberem inter et virilem interposito occurrit: quodque eadem cum tabe mesenterica similitudinem quandam habet.

Quin et Hydrargyri ad luem veneream medendam administratio intempestiva, Scorbuti affectio, siqua praecesserit, pluraque alia debilitantia inter causas excitantes valentiora sunt recensenda.

Causa hujus mali proxima tenebris involuta latet, ita etiam forsan latebit: neque enim cadaverum sectorum morbidae species rationem morbi, neque consilium medendi certum inde deductum, satis suggesserunt.

DIAGNOSIS.

Accessionis primae adeo callide struit insidias Phthisis, ut, ad hanc debellandam, nihil fere sit tantae difficultatis et momenti ut diagnosin statuere: Cujus rei bene gerendae studio impulsi, temporibus omnibus medici celeberrimi modis factitiis usi sunt, neque rationem ullam omisere quam vel excogitaverat ingenium vel medicinae practicae mos erat approbaturus.

Discriminatur eo morbus noster a Catarrho, quod in hoc pulsus a conditione naturali parum mutatur, neque ulli faciei puncto singulari erumpit rubor; certius vero, quod subito cessant huic indicia, si, quo oportet, judicio tractetur. Difficilius autem dignos-

citur Phthisis a Pneumoniâ, quippe in qua capitis nulla fiat magna laesio, aegerque thoracis mala et sitim fere conqueratur. Quin et phlegmonem hanc diutius manentem genus hecticae febris quodammodo comitatur.

Quae cum ita sint, summae nobis curae debet esse, ut machinis artificialibus, cujus generis jam memini, utamur. Haec inter se sunt varia. HIPPOCRATIS ab usque tempore usurpata est aqua,* in quam injecta pus mucusque a se invicem distinguerentur. Calore quoque, utpote satis stabili distinctionis fundamenta esse quidam nixi: pus calori circiter gradum centesimum sexagesimum imprimis subjectum albicari et albuminis signa indicare dicitur.

Thoracis percussio, adunca media manu, saepe tentatur; at neque frequentius neque sine cautione summa fiat. Jamque hic loci

---

* Των φθισικῶν ὁισιν ἐπι θαλασσαν πτυοισιν. ἐς τα πυθμενα βαδιζει το πυον. ὀλεθριον συντομος. ἔστω δὲ ἐν χαλκῶῃ θαλασσα.

HIPPOCRATES, p. 188, Sect. 2.

tentamentum aereum, quod ingeniose invenit ABERNETHY, indictum praeterire neutiquam convenit. Hoc tali perficitur modo : vas vitreum nimirum aqua impletum in pelve liquorem eundem continente invertitur. Tum deducitur aeger, qui spiritum quam plenissime ductam, in tubulum cum vase conjunctum, omni quo possit conatu, emittit. Aquae sic expulsae remotio accurate notata cum amotione ab homine sano facta comparatur. Ratione tali aegrotantis pulmonum capacitas facile aestimatur.

Quale sit malum judicanti, fiduciam insignem affert sputi species. Globuli e quibus constat pus, rotundi ; ejusdemque magnitudinis ac illi qui sanguini insunt, feruntur. Pure laminas vitreas inter duas posito, lucernâque longinquè per ea inspecta, ut memorat YOUNG, fulget in vitreis mediis colorum corona, a lumine lucernae reflexo, quasi radiantium, areamque, rubram circulo viridi circumdatam, qui rubro cingitur, formantium.

Experimenta CAROLI DARVINI perita mentionem nostram merentur. Ex his, id quod exscreat aegrotus, acido sulphurico, item aqua potassae separatim est solvendum: tum, solutioni utrique addita lympha siquid praecipitatum sit, pus adesse probatur. Omnium vero rationum, quae institutae sunt ad explorandum quantum detrimenti pulmonibus a Phthisi illatum foret, nulla commendatione tam digna est quam Stethescopus, quem a DUNCANO nostro juniore peritissime usurpatum vidi. Hujus instrumenti inventor LAENNEC, medicus Gallicus, id ample describit in opere, cui titulus, "De "l'auscultation mediate, ou traité du Diag-"nostic des maladies du poumon et du "coeur." Extremo Stethescopi uno ad thoracem affectum, altero ad medici aurem admoto, tum vero, si facta fuerit in pulmonibus suppuratio, in eos inire inaequaliter aurae vitales, nec illo cursu leni, quo in respiratione sana, descendere audientur.

Quin si cavum tuberculis suppuratis in fundo pulmonum, praesertim, vel parte pos-

teriori, factum fuerit, claviculis instrumento eodem imposito, vel dorsi regioni, talis fere affertur auri sonitus, qualis tubo ligneo laryngi colloquentis applicato exoritur. Caeterum commoditatis insignis copiam Stethescopus nobis faciet: namque tuberculis subesse compertis consilia curationis ulla quibus debilis fieret aeger, nequaquam inibimus, sed coelum mutare potius hortabimur.

PROGNOSIS.

Morbum hunc, quod ad prognosin attineat, saltem si suppuraverit pulmo omnis haud secundum, asserere vix necesse est. Phthisin veram in exemplo omni insanabilem Bayle autumat, a quo ea de re dissentit Young, exemplum unum in centum curationi idoneae cessurum arbitratus. Hic etiam a Dyspnoea et Febre Hectica, quas expertus est ipse, semet insedisse tubercula suspicatur.

CURATIO.

Quamquam, pro Phthisi variè modificata, ejus tractandae modus multum varietur oporteat, quaedam certa tamen indicantur in exemplo omni servanda.

Tubercula resolvere, vel ulcera sanare, si ea crevisse sit suspicio, nobis est propositum. Ut alterum bene respondeat, inflammatio est domanda. Quo exitum felicem habeat alterum, vires aegri sunt sustentandae.

Ad phlegmonem discutiendam, nihil potius est missione sanguinis, cui remedio comites sint ascita purgantia, calomelas praesertim, salesque medii, epispastica generum diversorum; victusque tenuis ab aegro est utendus. Ulcerum sanationis efficiendae gratia, irritamenta parti dolenti levia applicata, utpote contra stimulantia, cum diaeta validiori medicamentisque roborantibus, adhibeantur. Sanguinis missio nunquam utenda est, nisi aegrum nostrum convaliturum spes nobis affulgeat. Hoc remedium

huic commodo potissimum inservit, nempe quod irritationem sedet, tumoresque resorberi efficiat. Caute tamen usurpandum, ne debilitatis inducantur indicia. Quandocunque dolor thoraci fixus haeret, tum vero subsidio validissimo esse possunt hirudines et cucurbitulae.

Vomitoria, in hoc morbo medicaminum utilissima, contra species etiam singulas quas descripsit DUNCAN senior, valde opitulantur. In forma catarrhali nimirum prosunt illa, tum sputum pectoris expellendo, tum sanguinem summam cutem versus movendo, qua subleventur pulmones. Utilia esse aestimantur, quando vomicam extrinsecus rumpere atque ut fluidum sic evolutum, absorbentibus variis avehatur efficere est consilium. Vomitoriis haud multum credit DUNCAN senior, contrarie, caeterisque modo simili operantibus, summopere fidendum YOUNG arbitratur.

Quod in eo medicinae genere praeferri deberet, ut ostenderetur, multa sunt dicta. Sulphas Cupri vel Zinci, Antimoniique Tar-

tras, laudatores maximos habuere. Ipecacuanha vero casibus plurimis satis apta forsitan invenietur. Digitalis Purpurea etiam summo honore a multis auctoribus habetur. Quas vero possideat dotes adhuc quodammodo incertum est. Namque dato exemplorum numero, raro accidit ut his singulis eosdem pariat effectus.

Sudorem moventia, adversus Phthisin sumpta, calorem pariter, ac capitis dolorem imminuere, et cutis exhalationem expedire existimantur.

Acidum Prussicum in Phthiseos remediis altius eminebat pridem; multum vero de ejus fama nuper detractum. Quare existimationis mutatio ex imperitia illud exhibentium forsitan oritur; cum idem beneficium insigne afferre sumentibus sit visum.

Colchicum Autumnale nunc nostro in morbo multum laudatur. Proprietatibus ejus acribus Alkalino conjuncto obstari ferunt. Hujus vero medicinae effectus speciales nondum egomet vidi. Expectorantia, Demulcentia, Refrigerantia, tempore singula suo

necessaria habentur. E Refrigerantium numero Acidum Sulphuricum Aromaticum dilutum, utilitates maximas secum forsitan affert.

Stadio Phthiseos extremo, astringentibus prae omnibus caeteris eget miser, cum supervenit alvi fluxus maxime horrendus. Horum formula nulla fortior Catechu Infuso cum Opii Tinctura commisto.

Classis secundae medicamina roborantia, Columbae, nempe, Angusturae, Cascarillae, Gentianae, et Granati infusa, caeteris anteponenda sunt.

Sedantibus opus est, quae tussim et corporis irritamenta pacent, somnumque concilient. Quibus propositis Opium plerumque bene inservit. Qui, autem, Opio sumpto, male se habent, his in illius locum substitui commodissime potest Lactucarium, quatenus a DUNCANO seniori commendatur.

DE DIÆTA.

Qualis ea esse debeat, quamquam summi est momenti, nimis tamen pertinaciter a medicorum plerisque praescriptam autumo.

Horum coactu vel innocuis solatiis abstinere, vel oblata, jamque ingrata, quorum vires saltem in morbum ancipites forent, sumere, aegrotantes minime debent. Quapropter, nihil cibi animalis, nisi levi nutrimento pollens, concoctuque facile, capiendum; omnesque potiones stimulantes quam accuratissime vitandas, si moneam, sufficiat.

Fructus maturos, farinaria, lacteaque Phthisicis optime convenire experti docuerunt. Quae generum lactis variorum magis propria sint, multum disputaverunt medici. Lac asinarium pariter ac caprinum, caeteris praestare, ab omnibus judicantur. Tamen nec illorum analysis, nec animalium pascua, rationes satis graves attulere, cur existimatione tali potiantur.

Cœli vicissitudines praevenire, vestimentis calidis oportet. Aliquando, si sinat tempestas, foras exeat vectus aeger. Quod si per anni tempus, malique liceat indicia, hoc optimum factu longeque omnium optimum habendum est, ut e nostro ad mitius coelum et benignius emigret.

DE MORBO PRÆCAVENDO.

Qui parentibus labe strumosa infectis sunt generati, quive constitutione corporis debili laborant, his operae pretium foret, se maris fluctibus objectando, atque in locis excelsioribus exercendo, frigus aestatis pati assuescere etiamque universae cuti summae frictionem crebram adhibere.

NOTABILIA QUAE SCALPELLO EXPLORANTE DETEGUNTUR.

Quamquam reliquae quoque corporis partes atrophiam illam universam Phthiseos comitem fere participant, unus tamen adest pulmo qui constantissimè ac fidelissimè, quanta mali sit strages, testetur. Nihilo secius traditum est, omnibus Phthisios indiciis de more conspectis, pulmones sectos nihil a fabrica naturali mutatos conspectos fuisse. Aegrotos a Phthisi periisse haec duo signa cadaverum nos certiores reddent, nempe tubercula et abscessus.

Hi sunt cava parva pus continentia, vel receptacula magna humore eodem impleta, quae substantiam pulmonis paene omnem occupant. Iidem aliquando in ramulos, bronchiorum ulceratione viam sibi aperiunt; alias in cavum pectoris erumpunt. Partes pulmonum istae quae fundum vomicae circumdant, saepenumero durescunt.

Vomica, siquando e tuberculis composita sit, substantia visceris interjecta, frequenter dura reperitur, et firma, tactumque sensu quasi suberis afficit.

Occurrit interdum capsula dicta cui insunt pus massaeque tuberculorum grandiores. Incisus Pulmo speciem pulpae praebet, cerebro morboso haud dissimilem.

TUBERCULA.

Subrotunda corpuscula sunt, subalbida et inorganica. Primo perexigua, tempore labente in molem majorem concrescunt; pulmonum superficiei adhaerent, nulloque integumento vestita proprio, vasis minus scatent. Quorum facies interna scalpello explorata, laevis apparet, alba, firmaque: iisdem saepe accidit, ut exprimatur pus densum albidumque.

At Bayle in cadaveribus, si ibi Phthiseos notae detegerentur latentes, scrutandis minutior, prout harum probe suadebat ratio,

morbum in species tot peculiares est partitus, de quibus pauca breviter perstringam.

1mo, IN "GRENULEUSE."

Tuberculis firmis, forma lentis praeditis interdum semipellucidis, candoris opaci vel flavedinis cinereae, impressos, ostendunt se pulmones. Horum facies externa saepe videtur naturalis ; eademque arte secta, exhibentur corpora innumera cartilaginem referentia, morbo pari plerumque correpta.

2do, IN "MELANOSE."

Nigrescit pulmo durus et excavatus. Quin et cava membrana ex lymphâ coagulatâ obducuntur.

3tio, IN "ULCEREUSE."

Notabilis est haec species magnis pulmonum cavis exesis. Quae quidem mag-

nitudinis variae, odorem perquam foetidum emittunt. Eisdem terminos ponit margo dura tenuisque; neque interne membrana conspicitur ulla. Talibus in exemplis casum eundem et larynx tulerat. Haec mali species unà cum istis dictis "Grenuleuse" et "Tuberculeuse" in eodam aegro nonnunquam observatur.

4to, *IN "CALCULEUSE."*

Durescere praeter naturam dicuntur pulmones. Facies eorum interna calculos plures, duros, abnormes, cinereos, albescentes, conspiciendos offerre tradita fuit. Bronchiorum glandulae iisdem calculis bullatae fuerunt.

In vesiculis quoque haud longe patentibus hi reperti sunt, materia dura cretacea jam facti.

5to, IN " CANCEREUSE."

Hoc malo scilicet immaniori membranarum inter se adhaesiones longe lateque serpunt. Tunica mollis albumini similis universo thoracis inducta cavo erit.

Interna pulmonum superficie exposita, tumores duri, albi, lucentes specieque adipis recentis praediti, visi fuerunt. Horum alii aliis majores et compressi, humorem flori lactis haud dissimilem, hinc et illinc effuderunt.

Has autem inter species nulla pars corporis, nisi pulmones, signa morbida monstravit.

FINIS.